

TRACTATUS VI.

DE PRAECEPTIS DECALOGI.

SECTIO I. — DE PRIMO PRAECEPTO.

254. Primum Decalogi praeceptum effertur his verbis : " Ego sum Dominus Deus tuus... Non habebis deos alienos coram me. " (Ex. XX, 2, 6) Hinc satis patet materiam hujus praecepti, prout affirmativum est, consistere in actibus virtutis religionis ; prout negativum est, in vitiis eidem virtuti per excessum vel defectum oppositis.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS POSITIVIS HUJUS PRAECEPTI.

§ 1. DE VIRTUTE RELIGIONIS IN GENERE.

255. Religio est virtus moralis justitiae adnexa (n. 247) quae inclinat hominem ad reddendum cultum debitum Deo, tamquam primo principio creationis et gubernationis rerum. (2. 2. q. 81. a. 2) Dicitur *virtus moralis*, non theologica : nam virtutis theologiae objectum materiale est Deus ; virtutis vero religionis objectum materiale sunt actus quibus Deus colitur ; cum autem hi actus in Dei reverentiam cedant, Deus comparatur ad virtutem religionis sicut finis. (S. Th. I. c. a. 5) Objectum formale ejusdem virtutis est honestas moralis quae relucet in adimplendo hoc debito erga Deum. Ad religionem tamquam virtutem *elicientem* referuntur tantum illi actus qui, secundum rationem suae speciei, pertinent ad reverentiam Dei ; ad eamdem, tamquam *imperan-*

tem, pertinere possunt actus omnium virtutum tam theologicarum quam moralium. (S. Th. I. c. a. 4 ; Struggl, tr. 5. q. 1. n. 6)

Actus qui per se ad virtutem religionis pertinent explicantur a S. Th. I. c. qq. 82-91, nempe : *devotio*, *adoratio*, *oratio*, *sacrificium*, *oblationes*, *decimae*, *votum*, *juramentum*, *assumptio divini nominis* per modum adjurationis vel ad invocandum per orationem vel laudem. Plura ex his vel nullam difficultatem practicam continent, vel alibi, praesertim ubi de secundo Decalogi praecepto, explicantur. Hic tantum agemus de adoratione et oratione.

§ 2. DE ADORATIONE.

256. Adoratio late sumpta designat quemlibet actum quo alterum propter ejus excellentiam reveremur. Varia autem fit adoratio pro natura excellentiae quae sit ejus objectum formale, vel actum quibus illam excellentiam colamus.

Si objectum formale est excellentia Dei infinita et imparsicipata, habetur adoratio sensu maxime proprio, quo cum cultu *latriae* convenit ; si vero idem objectum est excellentia finita et participata, habetur adoratio sensu minus proprio, quo creaturis praestari potest. Hoc posteriore sensu convenit cum cultu *duliae*. Haec appellatio apud anticos Theol. (2. 2. q. 103. a. 4) designat reverentiam cuicunque homini ratione cujuscumque excellentiae exhibitam, hodie vero reservatur cultui exhibendo iis qui, propter aeternam gloriam, maximam conjunctionem cum Deo habent. Ita etiam vox *hyperdulia*, quae prius (I. c.) designabat cultum omnibus sanctis exhibitum, jam reservatur designando cultui quo colitur eminentia excellentia B. V. M.

Actus autem adorationis, licet mere internus esse possit, solet tamen esse simul *spiritualis*, quatenus consistit in interiori mentis devotione, et *corporalis*, quatenus consistit in exteriori corporis humiliatione. Hoc enim sponte sequitur e duplice natura, intellectuali et sensibili, qua constamus. Exterior autem adoratio fit propter interiorem, " ut vid. per signa humilitatis quae corporaliter exhibemus, excitetur noster affectus ad subjiciendum se Deo. " (2. 2. q. 84. a. 2)

Notandum quoque cultum esse vel *absolutum* vel *relativum*, prout sistit in objecto suo materiali, vel per istud transit ad aliud objectum, a quo prius suam excellentiam desumit. Ita relativus est cultus qui exhibetur reliquiis vel imaginibus sanctorum, quia non habent sanctitatem sibi intrinsecam, sed coluntur propter moralem conexione quam cum ipsa persona sanctorum habent. Jamvero, cum in cultu relativo spectetur persona quacum objectum cultus relationem habet, varia erit cultus

species pro excellentia illius personae. Ideo cultus latiae exhibetur reliquiis SS^{mae} Crucis, imagini Crucifixi vel SS^{mo} Nomini Jesu, cultus duliae reliquiis vel imaginibus Sanctorum.

Inter actus externos quibus reverentia exhibetur, plerique per se indifferentes sunt ad latriam vel duliam, ex. gr. genuflexio, suffitus. Ideo ad alterutrum determinari possunt per intentionem internam quae eos comitatur. Attamen sacrificium, saltem propter significationem quae eidem, omnium gentium usu, adnexa est ad recognoscendum supremum vitae et mortis dominium, ad solum cultum latiae usurpari potest. (2. 2. q. 84. a. 1)

Adoratio tum interna, tum externa erga Deum praecipitur lege naturali et positiva. Cfr. quae a Philosophis moralibus probantur de necessitate cultus socialis, qui necessario debet esse externus, et plurima S. Scripturae loca quibus cultus, et speciatim sacrificium, Deo offerri jubetur. (Deut. VI. 13; Matth. IV, 10)

Frustra inquireretur quotiens hac obligatione adstringantur fideles: nam, alias obligationes suas implendo, isti simul satisfacent. (Ball. P. n. 15)

257. De cultu duliae quaedam notasse juvabit, ob dubia quae quandoque emergunt. Nempe:

1º Cultum *publicum* hodie exhibere non licet nisi iis qui, proprio sensu, Sancti vel Beati nuncupantur. Cfr. Constit. Urbani VIII *Sanctissimus*, an. 1625, et *Caelestis Hierusalem*, an. 1634. Sancti autem proprie nuncupantur ii tantum qui sollemniter a R. P. albo Sanctorum adscripti sunt; Beati vero qui, ex speciali concessione R. P. ab aliqua provincia, ordine religioso vel loco, tamquam in caelis existentes, cultu aliquo publico coli possunt. Erga Beatos cultus ille eatenus tantum licet quatenus diserte Pontificio Indulto conceditur. Notandum tamen ipsum Urbanum VIII (Const. *Sanctissimus*) declarasse "quod per supra scripta praejudicare in aliquo non vult, neque intendit iis qui, aut per communem Ecclesiae consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis Ap. vel Ordinarii coluntur. „Quid autem liceat erga eos qui in antiquissima cultus possessione versentur, deducendum est e longaeva consuetudine. (Ben. XIV, de Beat. et Can. SS. I. 1. c. 37. n. 4 seqq.) Attamen hujusmodi cultus nonnumquam a S. C. R. probari et novis concessionibus augeri solet. Cultus ergo publicus reddi nequit iis qui cum fama sanctitatis vel martyrii obierunt et Servi Dei nuncupari solent; idem valet, etiam postquam a R. P. signata est causa introductionis eorum beatificationis et propterea jam Venerabiles vocantur.

2º Cultus publicus, vetitus exhiberi iis qui nondum Sanctis vel Beatis adscripti sunt, intellegitur ille qui nomine Ecclesiae, aut tamquam constitutus ab ea, fit aut fieri censemur. (Reiffenst. in l. 3. Decr. t. 45, n. 20) Id potissimum contingere si in honorem Servorum Dei functiones liturgicae agerentur, perinde ac fieri solet pro Sanctis vel Beatis. Non prohibetur autem cultus privatus seu privata devotione exhibitus, ut si aliquis in honorem alicujus Servi Dei, etiam aliis audientibus, preces aliquas recitaret: nam si talia non licent, jam, post multum tempus, de fama sanctitatis, quae ante Beatificationem investiganda est, constare non posset,

3º Imagines Servorum Dei nullatenus altaribus imponi possunt, neque extra altaria depingi cum aureolis, radiis aliisve sanctitatis signis; possunt tamen in parietibus ecclesiae, seu in vitris coloratis exhiberi, dummodo nullum cultus vel sanctitatis indicium pree se ferant. (Const. cit. et Decr. S. C. R. 14 Aug. 1894)

4º Tabellae, imagines, sive pictae, sive ex quavis materia factae, atque alia quaecumque signa fidem facientia gratiae quae iisdem Servis Dei accepta referatur, simul cum deferentis aliorumve testimonii, a custodibus ecclesiae recipi possunt, atque, approbantibus Ordinariis, ad quos statim omnia referenda sunt, in secreto aliquo seorsim ab ecclesia loco asservari. (Const. *Coel. Hierus.*)

5º Reliquis Servorum Dei exhiberi potest tantum cultus privatus, eas secum portando, osculando, aegrotis admovendo, etc. Facultas autem quam Trid. (Sess. 25. De invoc. vener. et reliquiis Sanct.) episcopis agnoscit, approbandi novas reliquias, unice intellegenda est de reliquiis noviter repertis eorum qui jam inter Sanctos vel Beatos relati sunt. (Reiffenst. l. c. n. 28)

§ 3. DE ORATIONE.

258. DEFINITIO. Oratio, *sensu lato*, dicitur quivis pius motus quo anima ad Deum ascendit, puta per caelestium contemplationem; *sensupresso*, est petitio decentium a Deo. (2. 2. q. 83. a. 1) Hoc posteriore sensu, quo a Theologis vox illa adhiberi solet, supponit in animo orantis desiderium alicujus boni obtinendi, et formaliter consistit in practica hujus desiderii explicatione apud Deum, sive id sola mente, sive etiam voce (quod crebrius est) efficiatur. (Struggl, tr. 5. q. 1. n. 20 seqq.) *Decentia* intelleguntur quaecumque honeste et convenienter desiderari possunt, spiritualia quidem bona absolute, temporalia vero sub condicione saltem implicita quod ad salutem animae conferant.

I. Oratio adultis est necessaria necessitate medii, eo sensu quod Deus, e dispositione Providentiae sua, non solet conferre gratias efficaces et perseverantiam finalem, nisi iis qui eas pia oratione postulant.

Hanc veritatem, quae praesertim e traditione Patrum constat, probandum relinquimus Dogmaticis ad quos pertinet. Cfr. Suar. de Relig. tr. 4. l. 1. c. 28.

259. II. Oratio adultis est etiam necessaria necessitate praecepti divini quod sub omni Lege tum vetere, tum nova exstitit.

Patet ex innumeris locis S. Scripturae quibus oratio praecipitur, ex. gr. Luc. XVIII, 1: "Oportet semper orare et numquam deficere." Cum autem satis appareat Christum hic declarare necessitatem jam existentem, idem praeceptum intellegendum est numquam non viguisse.

Haec ergo necessitas afficit omnes homines, etiam peccatores: quorum oratio, licet nequeat esse meritoria de condigno, poterit tamen multas gratias obtinere; immo, dummodo non sit voluntas prorsus obstinata in malo, neque desint condiciones reliquae ad bene orandum requisitae, defectus status gratiae non videtur obstatre quominus etiam infallibiliter obtineant peccatores ea quae ipsorum saluti utilia sunt. (Suar. l. c. c. 25)

III. Praeceptum illud obligat profecto ut *crebro* oremus; quotiens autem praecise orandum sit, vi hujus praecepti, determinari nequit. (Suar. l. c. c. 30. n. 16)

Prior pars satis liquet e S. Scripturae testimonii, ex. gr. 1 Thess. V, 17. "Sine intermissione orate, „ et ex ipsius vitae nostrae ratione. Hanc enim scimus esse multis periculis spiritualibus obnoxiam, quae superare nequeamus nisi Deus continuum et abundans auxilium nobis praestet; aliunde etiam novimus orationem esse medium ordinarium a Deo constitutum ad tale auxilium assequendum. Quare ipsa ratio dictat non esse exspectandum extremum periculum ut oretur, et contra propriae salutis curam agere qui non oret frequenter. (Suar. l. c.) Quod autem tempus illud orandi presse determinari nequeat, doctrina est communis Theol. (Struggl, l. c. n. 23), quae plurimum confirmatur dissidio eorum qui tempus illud proprius definire conati sunt. Ideo quod multi tenent, orandum esse saltem semel in mense, a praestantissimis AA. ut Suar. l. c., dubitanter profertur et parum ad proxim confert: nam plerique fideles praecerto illi abunde satisfaciunt, neque liquet quid ipsis esset praecise imponendum, cum jam dicendus sit orasse qui semel dixerit: *Deus miserere mei!* similemve precatiunculam.

Nullum ergo peccatum per se faciunt qui omittunt preces matutinas

et vespertinas aliasve ante et post refectionem dici solitas. Boni tamen confessarii est eos enixe ad proxim adeo salutarem adhortari.

260. IV. Obligatio orandi per accidens oritur praesertim in sequentibus casibus:

1º Ubi urget aliqua gravis tentatio cui homo existimat se aliter resistere non posse. Qui tamen in tali casu orationem omitteret, probabilis non committeret aliud peccatum praeter illud ad quod tentatio impellit: nam ejus obligatio orandi non oritur nisi e virtute, ex. gr. castitatis, contra quam tentatur. (Lessius, de Just. et J. l. 2. c. 37. n. 12)

2º In evidenti mortis periculo, si quis est in gravi peccato constitutus, ut veniam a Deo obtineat.

3º Ad avertendam gravem calamitatem quae privatis vel reipublicae immineat: quo in casu tamen raro gravis erit orandi obligatio, eo quod raro constabit orationem fore efficacem ad effectum hunc obtainendum ex. gr. ne alter duellum ineat, vel quod alii multi, ut fit in calamitate publica, jam ad eumdem finem orant. (Lessius, l. c.)

Alios casus ex industria omittimus, vel quia dubia est obligatio, ut in primo usu rationis (Suar. l. c. n. 9), vel quia res per se patet, ut contingit in iis qui, vi status, tenentur recitare Horas Canonicas.

V. Non datur stricta obligatio orandi pro aliqua particulari persona, nisi ob speciale ejus indigentiam, vel ob necessitudinem qua cum ea jungimur; neminem tamen excludere possumus e communibus orationibus quibus pro omnibus universe Deum deprecamur, exceptis iis qui vel nulla re jam indigent vel nulla oratione juvari possunt, nempe Beatis et damnatis. Igitur, licet non detur strictum praeceptum peculiares orationes fundendi pro inimicis, non licet eosdem excludere ab orationibus quas caritas interdum postulat ut faciamus pro patria, Ecclesia, communitate, vel etiam ab iis quas, sine ulla obligatione, instituimus formula quae natura sua omnes includat: id enim virtuale odium foret. (Suar. l. c. c. 16. n. 4) Cfr. dicta de dilectione inimicorum n. 227 seqq.

261. VI. Licet bonum et utile sit **invocare Sanctos** (Conc. Trid. Sess. 25. De invoc. vener. et rel. SS.), non videtur id sub strictum praecerto cadere, deficiente lege naturali et positiva. Attamen venialiter peccare posset, ob incuriam salutis sua, qui prorsus omitteret auxilium tam efficax quod in Sanctorum, praesertim B. M. V. intercessione reperire est; immo graviter, si haec omissione oriretur e contemptu et animo haeretico.

Num expediatur invocare animas in purgatorio detentas, inter AA. controvertitur. Negant plerique antiqui cum S. Th. (2. 2. q. 83. a. 4. ad

2 et 3) et quidam recentiores, ut D'Annib. (II. n. 19. nota 14) : quia, cum nondum fruantur visione Verbi, nequeunt cognoscere quae nos dicamus vel sentiamus. Affirmant multi recentiores (Ball. P. n. 38; Lehmk. I. n. 345), tamquam sententiam probabilissimam et communem. His certe astipulatur hodierna praxis multorum. Attamen Bellarmius (de Purgat. l. 2 e. 15), qui inter praecipuos hujus sententiae patronos citari solet, unice intendit animas purgatorio detentas pro nobis, tamquam in multis periculis versantibus, orare ; superfluum vero dicit ab eis petere ut pro nobis orent, quia non possunt *ordinarie* cognoscere quid agamus. Reapce nullo theologicō fundamento nittitur quod multi existant : illis animabus perinde ac caelitibus innotescere quidquid pro ipsis faciamus vel cum ipsis orando colloquamur.

VII. Ad recte orandum sequentes condicioneſ requiruntur :

- 1º Ut petamus *decentia* sensu supra (n. 258) explicato.
- 2º Ut oremus cum fide, credentes nos a Deo obtinere posse quod petimus, immo infallibiliter obtenturos esse vi promissionum divinarum (Matth. VII. 8 etc.), modo orationi insint omnes condicioneſ quas divinae promissiones supponunt.
- 3º Ut oremus cum humilitate, nostram indigentiam agnoscentes, non nostris, sed Christi meritis fidentes.
- 4º Ut oremus cum perseverantia : irrationabiliter enim vellemus statim exaudiri, cum Deus saepe dona sua differat quo amplius ea aestimemus et ad orandum excitemur,

Oratio his condicioneſ stipata infallibiliter exaudiatur si quis postulat pro seipso, sive justus sit, sive etiam in statu peccati, modo habeat bonam voluntatem cooperandi gratiae quam petit : nam nullibi promissiones Christi ad solos justos coartantur. (2. 2. q. 83. a. 16) Immo infallibilis videtur similis oratio pro aliis facta, modo in iis nullum sit obstaculum rei petitae, ex. gr. indurata voluntas : nam pro aliis orare jubemur et nullibi ad solum orantem restringuntur divinae promissiones. Tandem infallibiliter exaudienda videtur similis oratio si petuntur ea temporalia bona quae saluti nostrae utilia sunt, cum nulla appareat ratio ob quam a promissis maxime universalibus excludantur.

De attentione ad orandum requisita dicetur Vol. II. n. 59.

CAPUT II.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS PER EXCESSUM.

§ 1. DE SUPERSTITIONE IN GENERE.

262. NOTIONES. Religioni, sicut cuivis virtuti morali, duplex opponitur vitium, unum secundum excessum, alterum secundum defectum : omnis enim virtus moralis in medio consistit.

Vitium religioni oppositum per excessum vocatur *Superstitionis*. Haec definiri potest : cultus vitiosus veri vel falsi numinis. Nam excessus non est in eo quod " plus exhibeat in cultum divinum quam vera religio, sed quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet. " (2. 2. q. 92. a. 1)

Superstitione igitur est duplex : prior, qua cultus exhibetur quidem vero Deo, sed modo indebito ; posterior, qua cultus exhibetur ei cui exhibendus non est, nempe cuicunque creaturae.

Modus indebitus in cultu veri Dei potest esse *falsus* vel *superfluus* : hinc distinguitur superstitione cultus falsi et cultus superflui.

ASSERTA I. Superstitione cultus falsi ex se peccatum mortale constituit, quia graviter praedjudicat veritati et puritati Religionis christiana, dum eam minus aestimabilem, vel suspectam de errore facit. Ideo graviter peccat qui Deum nunc colit caerimonias cultus Judaici, quibus Christus adhuc venturus significatur ; qui proponit colendas falsas reliquias vel falsa miracula praedicat, ex. gr. ut devotionem erga aliquam imaginem augeat ; qui, ut populum commoveat, fingit aliquid miraculum vel historiam in S. Scriptura reperiri. Hoc ultimum tamen et similia facilis, ob animi levitatem, fieri possunt venialia. (Bus. ap. S. Alp. l. 4. n. 3 ; Struggl. tr. 5. q. 5. n. 6)

II. Superstitione cultus superflui ex genere suo peccatum veniale est : quia, praeciso scandalo vel alia circumstantia graviter mala, non praedjudicat graviter puritati et uniformitati verae religionis. Exempla habes in sacerdote qui e praepostera devotione multiplicaret orationes in Missa contra rubricas, vel longas preces privatas verbis Missalis intersereret. Videndum tamen num forte aliunde gravis peccati ratio cultui superfluo adveniat, puta e prohibitione Ecclesiae vel scandalo, ut si